

2

3

4

5

6

7



1698.

- 1<sup>a, b</sup> Coccejus, Henricus: *De armis illicitis*  
2 Exempl. -
- 2<sup>a, b, c</sup> Coccejus, Henricus: *De foeminarum sequestro.*  
3 Impl. 1709. 1717 ~ 1747.
- 3<sup>a, b</sup> Coccejus, Henricus: *De potestate status  
imperii circa dignitates.*
- 4<sup>a, b</sup> Coccejus, Henricus: *De directa probatione  
negativa.* 2 Exempl 1698 ~ 1736.
- 5<sup>a, b</sup> Rhodius, Michael: *De porta libera.* 2 Exempl.  
2 Exempl. 1698 ~ 1756
6. Schuetze, Petrus: *De citatione iudiciali.*
7. Vehr, Henricus: *De fermentatione caque in sanguine  
ne omnino existente*

8. Veker, Henricus: De lacta ac Passa spiritus  
mundi primi in cerebro generatione

9. Willenberg, Samuel Fridericus: De jure respillo-  
rum. . . . .

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT

ARMIS ILLI  
CITIS.

Quae  
Aufficis Divini Numinis,

PLACIDAE  
VITAE ILLUSTRI.

HENRICO COCCO JO,

PRINCIPALIS AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-  
DENBURGICI CONSILIARIO FACULTATIS IURIDICAE  
ORDINARI & THESAUR. PALATIN.

SENIORIS CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI  
ET COLLEGIUM SENIORUM ALESSANDRE, IN ACADEMIA  
SACRAE THEOLOGICAE PRAESIDIUM, & PRIN. CENS.  
PROF. ORDINI JURISCONSULTORUM.

DOCTORI SUO DEFENERANDO.

JOHANNES GEORGIVS  
DE BIRCKHOLTZ

PROFESSORIS  
PRAESIDIUM  
Praesidium Palatinum, Electoris Carolus Augustus, Curator.

16-  
2  
4  
2  
16



*[Faint, illegible handwriting]*





1698, 2a  
1700.  
3  
D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
De

# FOEMINARUM SEQVESTRO,

Quam  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Ex Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

In Illustri Academia Viadrina,

PRÆSIDE  
DECANO SPECTABILI

DN. HENRICO COCCEJO,

Jcto Celeber. Augusti atque Potentiss. Electoris Brand.

Consiliario Splendidissimo, Facultatis Juridicæ Ordinario

Gravissimo, & Professore Primario Dignissimo;

Antea Summi Consilii Status Electoralis Palatini, & Collegii Re-  
visorii Assessore, in Alma Heidelbergensi Decretalium, Pandectar.

& Juris Gentium Profess. Publ. Ordinario Meritissimo,

DOMINO MOECENATE ET PROMOTORE

*suo summè devenerando,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES, AC PRIV. DOCTOR.  
ritè consequendi,

*Publica & Solemni Disquisitioni submittit,*

IN AUDITORIO ICTORUM,

CONRADUS BUCHIUS, Francof. Marchicus,

d. II. April. Anno Christi 1698. horis ante & pomeridianis.

---

Denuo recusa, Anno 1709.

Augusti atque Potentissimi  
Novemviri Brandenburg:

Ministris Status Intimis Eminentissimis,

VIRIS

*Per-Illustribus, Generosissimis, atque  
Excellentissimis,*

**DN. PAULO  
DE FUCHS,**

Rerum Feudalium atque Ecclesiasticarum  
Præsidi Gravissimo,

*Hereditario Domino, in Malcho / Heinersdorff / &c.*

ET

**DN. JOHANNI  
FRIDER. DE RHETZ,**

*Hereditario Domino, in Großbähnitz / Selbelang / &c.*

*Dominiis Suis Benignissimis,  
Patronis Optimis Maximis.*

**ILLUSTRISSIMI DOMINI,**



circumspiciendi mihi, di-  
 uque ac multum cogi-  
 tanti, quos potissimum  
 Disputationi meæ PA-  
 TRONOS eligerem, à quorum ve-  
 nerabili Nomine & præsidium, &  
 splendorem expectare posset, fixum  
 tandem deliberatumque fuit, Vobis,  
 DOMINI, eandem humillimè con-  
 secrare. Meritò quidem vereor, ne,  
 vel arrogantia nimia, vel temerita-  
 tis quoque, vel utriusque notam in-

]] 2

curre-

currere videar, quod sanctiora Ve-  
stra negotia interpellare, Vobisque  
Reipubl. unicè natis, atque à tanto  
tempore publica tantum rerum mo-  
menta, gravissimaque Maximorum  
Principum negotia versantibus, le-  
vidense hoc, tenebrisque magis  
quam tantorum Heroum manibus  
dignum, Academicum munus of-  
ferre sustineo. Ast, erigit me, ve-  
niamque sperare jubet, si quid desi-  
gno, propensissimus ille Vester in  
literas affectus, atque inusitatus pla-  
nè in omnes bonarum artium culto-  
res favor. Neque enim Vos, DO-  
MINI BENIGNISSIMI, quod in Viris  
erudi-

eruditis nonnemo taxavit, ut, cum ingenio plurimum valeant, comi raro alloquio sint, & in sapientiæ studiosos obvia voluntate, in Vobis desiderari patimini, sed quamvis, præterquam quod in tam sublimi atque excelso loco positi estis, admiranda, etiam ad invidiam usque doctrinarumque experientia polleatis, incredibili nihilominus benevolentia & humanitate cunctos, qui optimis literis operam navant, complectimini, ut, quibus Vos adeundi copia datur, mirificam gratiam Vestram magnopere extollant, unoq; omnes ore deprædicent. Accedit illa merito-



rum Vestrorum magnitudo, quibus non Patriæ modo, sed & tot gentium commodis tam feliciter Vos impenditis, ut *Illustrium Nominum Vestrorum* gloria aucta, in Vestri venerationem trahatis omnes, quibus tanta virtutem exempla in Vobis colere contingit. Quis igitur mihi vitio vertet, quod inter humillimos cultores Vestros gradu & censu plerisque impar, licet reverentia atque devotissimo cultu vix ulli secundus, eò laborum, quò & ipse Gratia Vestrae tam late patentis, & ad omnes bonos diffusæ, aliquos fructus percipere queam. Accipere itaque quod  
humil-

humillima mente etiam atque etiam  
 expeto, MOECENATES MA-  
 XIMI, Disputationem hanc Inau-  
 guralem, tanquam pignus pectoris  
 mei *Splendidissimis Nominibus Ve-*  
*stris* unicè dicati, vultu hilari atque  
 sereno, meque, ac conatus omnes  
 meos, mea denique studia, summo  
 & exoptatissimo Patrocinio Vestro  
 quam commendatissima habete.  
 Summum, quod eminentissima po-  
 testate terris præest, Numen, Vos,  
 ILLUSTRISSIMI DOMINI, cum  
 UNIVERSIS ILLUSTRIBUS FAMILIIS VE-  
 STRIS, sospites, fortes, ac hilares, re-  
 busque optimis & felicissimis perpe-  
 tuo

Corpus Buchius; Francof. Munch.


tuo florentes, quam diutissimè seruet,  
saluberrimisque Consiliis Vestris for-  
tunatissimos largiatur successus, quo  
illa, uti usq; huc, ita in posterum quo-  
que vergant in POTENTISSIMÆ  
DOMUS BRANDENBURGICÆ  
splendorem ac incrementum, Ejus  
Sceptro subjectorum populorum  
commodum & emolumentum: *Illu-  
strium* deniq; *Nominum Vestrorum*  
immortale æternumq; decus ac glo-  
riam. Ita precatur,

V O B I S  
ILLUSTRISSIMI DOMINI

*Devotus*

Conradus Buchius, Francof. March.





## PRÆFATIO.



Inter actus hominum benefi-  
cos cum obligatione mutua  
conjunctos, qui tendunt ad a-  
liorum utilitatem, Depositi  
contractum merito numeramus,  
quo alteri rei custodiam  
committimus, vicariamque operam & fidei  
præstationem in re recepta desideramus, §. 3.  
*Inst. qu. m. re contr. obligat. l. 1. pr. depos.* Grot.  
*de F. B. & P. lib. 2. cap. 12. §. 1. & 13.* Pufendorff.  
*de F. N. & Gent. lib. 5. cap. 4. §. 7.* quando scilicet  
vel ob absentiam, minorem securitatem, vel im-  
minens incendii, tumultus, ruinæ, naufragii pe-  
riculum

A

riculum, vel ob litem motam ea excludimur; & si in ullo, certe in hoc contractu bona fides exuberare debet, *l. 31. ff. de pos. l. pen. C. eod.* diciturque quibusdam actio inde descendens fiduciae iudicium, quod ob dolum damnato infamia irrogatur, *l. 1. ff. de his qui not. infam.* Franc. Connanus *Commentar. jur. Civ. lib. 7. cap. 4.* Cic. *de Offic. lib. 3.* ibique Rachel. *pag. 501. n. 2.* Præter res vero etiam ipsas personas utriusque sexus tanquam objecta Depositi admittit; *l. 1. §. 5. l. 7. ff. de pos. l. 61. §. 5. de Furt.* in quibus txx. de Servis depositis agitur, & *in l. 3. §. Julianus 4. de Lib. exhib. §. duc.* liberi sequestrantur, cum de iis ducendis interdicto agitur. Quod Canones ad Virginem elocandam ac uxorem producerunt. *cap. 14. de Sponsal. c. 8. cap. 13. in fin. de Restit. spoliat. cap. 14. de Probat.* Et cum de hac materia æque plene, ac de rerum sequestratione, quantum meminimus, Doctores non egerint, in præsens placuit, personarum, & quidem foeminae sequestrum, Inauguralis thematis loco, in medium proponere, & hujus jura examinare. Sunt quidem multi, qui talem non agnoscunt, inter quos etiam est Knipschild.

*d. Con-*

PRÆFATIO.

3

*d. Contract. Exerc. 4. quest. 12.* Verum, cum  
 juris auctoritate foeminarum depositum detur,  
*d. l. 3. §. fin. ibi: Foeminam interim apud ma-*  
*trem-familias deponi, Prator jubet: junct. txx.*  
 jam alleg. & depositum proprie fit in sequestre,  
*l. 6. ff. depos.* hoc vero lis mota constituat; nemo  
 non videt, similis foeminae, de qua lis movetur,  
 ejusque custodia tertio commendatur, sequestra-  
 tionem, haud invita jurisprudentia, recte dici,  
 uti etiam usus forensis,

*Quem penes arbitrium est & vis, & norma*  
*loquendi,*

Doctorumque auctoritas idem confirmat, uti  
 ex hac Disceptatione apparebit. Ut vero ead-  
 em ed felicius & exactius procedat, Divinum  
 Numen enixissime sollicitamus, quo nobis gra-  
 tia sua adfistere, & exoptatum finem clementis-  
 sime largiri velit.

A 2

CAP.



# Definitione Nominali & Reali & Differentia.

## §. I.



Uamvis enodatio vocabulorum otiosa videri possit, & vanam redolere solertiam, cum non tam verba tenere, *L. 17. ff. de LL.* quam sententiam amplecti oporteat: *L. 3. §. 9 de adim. vel. transf. Leg. L. 10. de confirm. tut. L. 3. C. de Liber. prater.* At tamen, cum Ulpianus, nomen rei propositæ, licet sit manifestissimum, haud negligendum esse, putet, *in L. 1 §. 11. de Vent. inspic.* atque è re esse iudicet, prius, quam ad rem deveniamus, pauca de significatione vocum referre, *L. 1. ff. de Reb. cred.* cum vocabula non solum sint rerum notæ, *arg. L. 7. de Suppell. Leg. Gell. N. A. lib. 13. c. 10.* sed & genuinus eorum sensus res, tanquam in picta tabula oculis subjiciat, *Cubach. in Brocard. c. 20. Everhard. in Topic. ab Etymolog. Rosbach. pr. civ. lib. 71. n. 1.* eo, quod origine ac usu, suam nanciscantur potestatem; nec mihi integrum esse censeo, hac in parte, deficere. Quo magis vero obviæ sunt Inscriptionis nostræ Voces, eo rectius, proluxa earum explicatione, susperfedere poterò.

§. II. FOEMINAM omnium hujus sexus nomen latissimæ significationis, cum & brutis plantisque tribuatur, alii à fœtu, quem maximam partem conficit, alii à femine, parte loxarum inferiori, *Valla Lib. 4. elegant.*

## De Fœminarum Sequestro.

c. 37. quod in Venerem, cujus sedem in femoribus credunt, magis propendent fœminæ, derivant; hinc, à diversa originatione, dispar, ratione orthographiæ, scribendi ratio deducitur.

§. III. Mulieris vocabulum, in genere, synonymum est, mulieres enim omnes dicuntur, quæcunque sexus fœminini sunt, L. 25. §. 9. de aur. arg. mund. L. 14. §. 7. de Edil. Edict. in qua lege generalem & specialem significationem Jctus conjunxit, tali loquendi genere usus, quod Græcis ὀξύμωρον audit, sed specialius hoc ab illo differt, & strictior ejus est significatio. Communissime quidem, usu tamen classicorum & melioris ævi scriptorum, denotat omnem eam, quæ amplius non est virgo, & virum passa est, Cicer. pro Muræ. L. 11. n. 5. de contract. emt. L. 11. §. 5. de act. emt. L. 38. §. 5. de pœn. modo uxorem L. 39 §. 1. de legat. 3. L. 72. de jur. dot. L. 9. §. 1. de Minor. L. 93. §. 1. de Leg. 3. unde Cicero irrisus, quod sexagenarius, Virginem Popiliam duxisset, referente F. Quintiliano Instit. lib. 6. cap. 3. dixit: Cras mulier erit. Magnificus Dn. D. Petr. Schulz/ in Disputat. de Fœmina Mercatrice cap. 1. §. 2. modo puellam, L. 81. §. 1. eod. modo virginem viripotentem, si nempe de sexu ejusque substantia & facultate quæritur, mulieris appellatione, tanquam sub genere suo continetur, L. 13. pr. de V. S. Dn. Schulze d. L. §. 3. in tantum, ut, etsi ratione qualitatis, tanquam specificæ differentiæ multum mulier & virgo differunt, L. 13. de Manumiss. vind. paria inter eas plerumque maneant jura, nisi subjectum vel circumstantiæ aliud suadeant. ut si quis injuriandi animo, virginem quandam vocaverit mulierem, actioni injuriarum locus erit, arg. L. 15. §. 15. de Injur. ibique Br. §. gl. non ob vocis proprietatem, sed

animi malitiam. Cædd. ad d. L. 13. num. 7. & 17. Mulierem vero à molitie dictam esse, auctoritate Ambrosii confirmatur in *cap. 18. cap. 32. quæst. 7.* ibi: Sciat virum. ab Ambrosio appellatum non sexu, sed animi virtute: Mulierem quoque nominatam sentiat, non sexu corporis: sed molitie mentis. Cui consonat Lucius Cælius à Patria Firmianus, ab lactea eloquentia, Lactantius dictus *de Opificio Dei L. 12. circ. f.* Plus, inquit, roboris maribus attributum est, quo facilius ad patientiam jugi maritalis foeminae cogentur. Vir itaque nominatus est, quod major in eo vis est, quam in foemina, & hinc virtus nomen accipit. Item Mulier (ut Varro interpretatur) à mollitie est dicta, immutata & detracta litera, velut mollior, conf. Tiraquell. *de LL. Connub. gl. 1. part. 1. num. 55.* Wibel. *de Contract. Mulier. c. 1. 18. 19. 20.* Et hoc ipsum eleganti, ut solet, ingenii lusu, expresfit Owenus *Lib. 1. epigr. 70.*

*Dicta fuit mulier quasi mollior; est tamen Eva,  
Non de carne sui sumpta, sed ossè Viri*

Hinc Veteres soliti fuerunt, quoties aliquam, tanquam mollem & effoeminatam, carperent, foeminino, eum, vocabulo, irrisionis causa, appellare. Alciat. *Lib. 2. Parerg. c. 49.* Germanice talis dicitur: ein weibischer Kerl / eine feige Memme. Sic etiam, Mulieris nomen, inter contumeliosa fuisse, & insignis infamiae, atque adeo, synonyma existisse, Mulierem & Impudicam, ex Taubman. in *Plant. amphitr. act. 2. Sc. 2. v. 182.* refert Dn. Schulze in saepius alleg. *Disp. cap. 1. §. 1.*

§. IV. Quod vero ad usum horum vocabulorum in arte juris attinet, Decus illud Patriæ nostræ simulque totius Marchiæ Frideric. Pruckmann. in *Proam.*

ad

## De Faminarum Sequestro.

7

ad L. 9. de Stat. bom. num. 4. & seqq. de illo notat, Statutum loquens de muliere raro vel nunquam fere ad quaslibet, mulierum species trahi, sed vel ad maritatum tantum, vel duntaxat è diverso ad non maritatum tantum, referri: Et ea propter, haud absque mysterio, tum Papinianum, in d. l. 9. tum Ulpianum, in L. 2. ff. de R. 7. regulam tradere cupientes, non mulieris termino; sed sceminarum vocabulo, uti voluisse, quo nimirum ostenderent, harum, similibus Legum dispositionem, omnibus, cujuscunque speciei essent, sceminis, intrepide applicandam.

§. V. Alterum, thematis nostri, vocabulum, est; *SEQUESTRATIO*, seu, inde quod originem trahit, sequestrum. Sequester autem, is, apud quem plures, eandem rem de qua controversia est, deposuerunt, dictus ad eo, quod occurrenti & quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur, L. 110. de V. S. quasi ipse Sequester sequatur eos, qui de re litigant, paratus eam restituere illi, cui ex lege depositi ipsam restituere oportet. Et huc alii referunt nomen obsoletum *Sequus* h. e. alius, & ab hoc descendere volunt nostrum vocabulum, unde & reliqua, *Secus* h. e. aliter, *secius sequior*, minus principalis, secundarius, à *secundus*, quod ad eodem fonte, h. e. alter à primo, itemque *sequor*, alter sum à præeunte. Sequester itaque, vi vocis, est alius, *medius* & *tertius*, cui, res controversa in deposito collocata, & res in *medio* locari jure dicitur, L. 2. in fin. C. Theod. d. lib. curs. & L. fin. in fin. C. quid ad libert. provoc. non lic. Dn. Schilter, Exercit. ad Pand. 28. §. 71. Voss. Etymolog. voc. Secus.

§. VI. Ipsum vero depositum, rei litigiosæ, Sequestrum dicitur, L. fin. C. quib. ad libert. procl. non lic. L. 5. C. quor.

*C. quor. appell non recip. & sequestre, L. 6. L. 33. ff. Depof. item Sequestratio, in Rubr. & L. 1. C. de Prohib. Sequ. Pecun. L. 20. §. f. C. de Agric. & censit* Quamvis hæc duo differre videantur, tanquam jus & factum, ita, ut Sequestrum sit juris, Sequestratio vero facti, usus tamen ea confundit. Knipschild. *de Contract. Exercit. 16. ibes. 33. Goedd. in Rubric. de Sequestr. poss. num. 3. Wesenbec. Consil. 7. per tot.* Et Sequestratio interdum significat etiam Scripturam, quæ de Sequestratione confici solet. Hotoman. *in Lexic. voc. Sequestratio.*

§. VII. Est vero sceminarum sequestratio Actus, quo ex conventionione partium litigantium, vel ex iudicis officio scemina alicui fideliter custodienda committitur, ut, lite finita, victori restituatur.

§. VIII. Hinc duplex resultat Sequestratio, quarum prima est voluntaria, sive conventionalis, ex isto partium arbitrio procedens; altera necessaria sive judicialis, quæ, iussu iudicis, in vitis etiam partibus, fit.

## CAPUT II.

De

### *Virginum & Viduarum Sequestro.*

§. I.

**C**UM in recta Liberorum Educatione, non tantum familiarum, sed potissimum ipsarum Re-  
rumpublicarum salus versetur; multum interest, ubi & à quo quis educetur? Hinc, nec Jurisprudencia Nostra hoc caput intactum reliquit, studium-  
que



## De Fœminarum Sequestro.

9

que liberōs educandi, commendatissimum sibi habuit, *l. 2. de donat. inter. Virg. & Uxor.* Ibiq̄ Mornac. *t. t. ff. & C. ubi pup. educ. l. mor. deb.* prudentisque iudicis arbitro, hujus determinationem commisit, adeo, ut etiam parentum ratio non semper habeatur, hanc enim negligentes, parentum nomine indigni censentur, add. Ann. Robertus *rer. Judic. lib. I. c. 8. & 9.* Hoc enim natura docet, absque præceptore, ut nati curæ sint genitoribus, ipsorum saluti diurnitati qui prospicientibus. Hujus itaque neglectus naturales protectores in hostium traducit ordinem, patrem matremque accusatores e patronis faciens, ut qui soli servare debuerant, prodant etiam. Philo Judæus *de Temulentia fol. 241.* conf. Eichel. *de Iure nat. int. par. & liber. part. 1. tb. 28.* Et in hoc, inquit Bald. *lib. 5. consil. 487.* Judex debet esse severus, nec moveri matris lacrymis, vel tutorum blanditiis, sed solius vitæ meritis. Hinc, lite, eo nomine, orta, & si de liberis ducendis agatur, donec terminetur, si pariter litigantes sunt conditionis, sequestrationis remedium adhiberi solet, vel, ut dicitur *in l. 3. § fin. de liber. exhib. & ducend. fœminam, prætextatum, eumque,* qui proxime prætextati ætatem accedet, interim apud matrem familias, notæ auctoritatis fœminam, deponi prætor jubet. conf. Jacob. Gothofredus *in Comment. ad l. un. C. Theod. de prohib. sequestr. pecun. pag. m. 217.* Mornac. *ad d. l. pag. m. 378.* Cujac. *lib. 28. qq. Papin. in lib. 5. §. 1. Ut legat. f. fidei commiss. serv. causa. p. 736. lit. D.* In dicta *l. 3. §. 4. de liberis ducendis* agitur, & decisum si is, qui se patrem dicit, auctoritatis, prudentiæ, fidei exploratæ esset, usque in diem litis

B

tis

tis impuberem apud se habiturum, is vero qui controversiam facit, humilis, calumniator, notæ nequitiae, repræsentandam, i. e. non differentiam esse cognitionem. Item, si is, qui impuberem negat in aliena potestate esse vir omnibus modis probatus, tutor vel testamento, vel à prætore datus, pupillum, quem in diem litis apud se habuit, tuetur, is vero qui se patrem dicit, suspectus, est quasi calumniator, differri litem non oportere, ne per collusionem aut imperitiam contendentium, aut alienæ potestati paterfamilias, aut filius alienus patrisfamilias loco retineatur.

§. II. Ipse quidem Gædd. *ad tit. d. Sequestr. possess.* & *fruct. c. 2. n. 5. pag. 299.* sequestrationem in hac L. non admittit, verbumque *deponi* improprie accipi statuit, & licet locus hic, de Sequestre, intelligendus esset, cum tamen de filio familias & filiafamilias agat, quos pater potestatis suæ jure exhiberi sibi desiderat, non probaret, cujusque hominis liberi sequestrum fieri posse, sed tantum istius hominis, cujus esset causa ex jure Quiritium vindicandi, ut quem admodum non aliter, quam cum causæ adjectione, filiusfamilias Quiritium jure vindicari potest l. 1. §. 2. ff. de R. V. ita quoque non aliter quam cum causæ potestatis patriæ adjectione sequestrari possit; Et tandem concludit, hanc sequestrationem esse impropriam, & ad arresto non differre, sed unum idemque esse asserit. Verum etsi in hominis plane liberi nec in alterius potestate constituti sequestro improprietas vocis admittenda sit, nihil tamen Gæddeum adjuvat asserta identitas sequestrationis & arresti, quæ  
maxi-

## De Feminarum Sequestro.

II

maxime inter se differunt, & hoc non jure Romano, sed usu introductum est *Mev. d. arrest. c. 1. n. 6. 14. & seqq.* Quis itaque Consultum Romanum, hoc respexisse & voluisse asseret? aut sine expressa lege idem in remediis possessoriis, ac in Rei vindicatione statuisse dicet? Quid? quod textus non de jure partium, sed prætoris potestate & jussu disponat.

§. III. Misso hoc Jur. Civil. textu, progrediemur ad Jus Canonicum, quod ad virgines elocandas & ipsas uxores sequestrum produxit, *Wissenb. ad Cod. d. prohib. pec. sequestr.* & initium facimus ad illis, quarum parentes sunt adhuc in vivis, quorum consensus in terris Evangelicorum in sponsalibus indifferenter sine patriæ potestatis respectu requiritur. Magnificus Dn. Præses in *Hypomnem. Institut. ib. 1. tit. 10. §. 8.* & sine vitio nullitatis abesse non potest, hucque facit Serenissimi Electoris Brandenburgici Domini nostri Clementissimi *Novissima Constitutio von Verlöbniß und Ehefachen. §. 7.* cujus verba sunt hæc: Hingegen verbieten wir Krafft dieses nochmals. (nam eadem prohibitio jam facta fuit seculo præterito, Anno 1337. ad Elect. Joh. Georgio in *Ordinatione Consistoriali. Tit. 95.*) Daß sich keine Kinder/ Söhne Töchter / ohne Unterscheid ihres Alters / Condition und Standes / ohne Vorwissen und Einwilligung ihrer Eltern / als des Vatern/ der Mutter und da die nicht mehr vorhanden/ des Groß-Vaters und der Groß-Mutter / und nach diesem die Vormünder / (jedoch / so fern sie rechtmäßige Ursachen in casu dissensus have verloben sollen / und wann gleich solches

B 2

ches

ches geschehen / sol doch solches Verlöbniß / ungeachtet / ob dasselbe in anderer Leute / als Gezeugen Beyseyn geschehen / und die Partheyen einander Mahlschätze / Ringe / Geld und dergleichen darauff gegeben / oder sonst dieselben mit hochbetheurlichen Worten und Schreiben / oder auch wol gar durch eidliche Verpflichtung abgehandelt / und Pacta dotalia auffgerichtet worden / für heimlich gehalten und in unserm Consistorio vor unkräftig und unbündig erkant / die Personen auch in unsern Landen nicht getrauet werden.

§. IV. Quid si jam ratione consensus requisiti lis oriretur, & hoc sine justa causa denegato, causa ad Consistorium esset devoluta, quaritur num interim, donec decidatur, filia sequestrari possit? R. Omnino; Nam penes parentem hoc casu relinqui non debet, ne nimis forte aut verberibus, ut fidem fortassis datam retractet, dissentumque declaret, adigatur: multo minus autem penes procum, aut ipsius consanguineos, ne, si libero aditu gaudeat, furore amoris percitus, ejus corpori vel pudicitiae vim inferat, pollicitationibusque persuadeat, ut promissioni semel factae stet. Struv. in *Decis. Sabbath. cap. 6. Decis. 27.* Ritzelius in *Synopsi matrimoniali. 3. theor. 20. lit. F.* Neque huic sententiae obstat, quod nuptiae, sine parentum consensu contractae sint ipso jure nullae. *pr. l. de nupt.* ergo etiam sponsalia; uti posterius membrum ex novissima Constitutione hujus Electoratus von Verlöbnißten. §. *preced.* probatum dedimus, proinde etiam Sequestratio cessare debet. Nam R. praesupponi, quod Sponsa sit nubilis ætatis cui

De Faminarum Sequestro. 13

cui pater etiam invitus conditionem querere tene-  
 tur; *autb. Sed Si post*; ibi: sine consensu tuo, marito  
 se, libero tamen, copulaverit. *C. de Inoffic Testam. l.*  
*10. ff. de Rit. nupt.* adeo ut si pater differat matri-  
 monium liberorum, liberi vel eorum loco cognati,  
 petere possint a iudice, ut patrem compellat in ma-  
 trimonium collocare liberos & filia dotem congru-  
 am constituere Brunneman. *ad d. l. 19. de R. N. n. 1.*  
 Præsertim, si Sponsalia præsentibus consanguineis,  
 absente licet patre, publice fuerint celebrata, pro-  
 cusque prætendat, patrem indebite matrimonium  
 filia prohibere, forte, ut bona ejus materna satis am-  
 pla retinere possit, Pater contra affirmet, se justas  
 dissentendi causas allaturum; Sic enim causæ cog-  
 natio & juris processus necessario requiritur, ac pro-  
 inde, ne cuiquam fraus, fiat, Sequestrationis remedio  
 valde opus est. *Andr. Cladius de jure Sequestrationis*  
*Cap. V. & ex eo, suppresso tamen nomine Auctoris,*  
*Joh. Volck. Bechman in Disput. de Sequestris & Se-*  
*questrationibus cap. 3. §. 17.* Sic Panormitanus *ad cap. 14.*  
*de sponsal.* notat, quod, quando puella contraxit clam  
 parentibus, iudex ad petitionem Sponsi, eam de po-  
 testate parentum surripere debeat & collocare ean-  
 dem in aliqua honesta domo, puta, in monasterio  
 monialium, ut *in cap. penult. X. de Probat.* vel apud hone-  
 stos consanguineos puellæ. In genere tamen sciend-  
 um, semper apud medios & non suspectos collocan-  
 dam puellam, alias enim mandatum de re laxando in  
 Camera impetrari potest; prout quendam contra-  
 Noricum Magistratum mandatum de re laxando se-  
 questrata Sponsa suo tempore impetrasse, scribit Ru-



land. de Commissar. lib. 4. cap. 4. n. 16. Ita Cludius d. l. memorat, lite de matrimonio inter H. G. civem Wismariensem & J. R. Hamburgensem, orta, in Consistorio Rostochiensis pronunciatum, ne puella, usque ad causæ decisionem, penes sacerdotem sequestraretur. Simili modo aliquando decretum fuit in causa virginis cujusdam, cui nomen Gertrudis erat, eo, quod procius prætenderet, Patrem, filiam jam natu grandi vero cœlibatus inique extorto, saltem spe hæreditatis ipsius captandæ honestam conditionem nuptiarum oblatam recusare; test. *NICOL. REUSNERO lib. 1. Decis. 3.* Et quamvis utroque casu contra decretam Sequestrationem appellatio interposita fuerit, utrinque tamen eadem rejecta fuit. Clud. d. l. Hahn. ad Wesenbec. tit. depos. ad verbum: *apud Sequestrum pag. 469.* Reusnerus c. l. hisce verbis; *Daß eingewanter appellation ungeachtet bey dem den 22. Martii des verwichenen 89. Jahres / der decernirten Sequestration halber gegebenen Bescheide allenthalben verbleibet und beflagter (abduxerat nempe Sponsus pendente appellatione ex domo patris absentis clam virginem, & apud materteram suam occultaverat) nochmahls den Abscheid zu pariren / und Cuer Tochter bey Curem Pfarrherrn sequesters Weise einzustellen schuldig &c. Conf. Cothman. lib. 1. Respons. 1. a num. 434. Henr. Lind. de Sequestrationibus cap. 2. tb. 11.*

§. V. Sequitur casus, quando parentes filiam minis inducere volunt, ad contrahendum vel non contrahendum matrimonium; tunc enim iudex tam ex officio, quam ad implorationem Sponsi providere

De Fœminarum Sequestro. 15

videre debet, ut, donec de principali causa cognitum fuerit, puella in loco tuto constituatur, ubi libere animi sui sententiam exprimere possit, ne alias per timorem dicat, sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire, prout sonant verba *cap. 14. de Sponsal. vid. c. Hortamur 3. q. 9. c. Sive 33. q. 2. Gail. 2. O. 48. n. 7. Wibelius de contract. Mulier p. 41. Dn. Petr. Müllerus ad Struv. S. 7. C. Ex. 21. oph. 50. lit. I. Colerus de process. Executio. p. 1. t. 2. n. 140. seqq. Vincentius Carocius de Sequestro. p. 1. qual. 1 pag. 526. Matrimonia enim debent esse libera, text. in L. 134. in f. pr. ff. de V. O. neque liberam facultatem contrahendi matrimonii transferri ad necessitatem oportet l. 14. C. de nupt. Et ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium, etiam si pater & mater hoc voluerint & fecerint c. un. causa 30. quest. 2. Hinc, quamvis consensus parentum ad nuptias necessario requiratur, pr. 7. de nupt. cogere tamen liberos ad matrimonium iungendum parentes nequeunt. L. 12. C. de nupt. L. 13. & L. 21. ff. eod. Quandoquidem autem metus regulariter non præsumitur L. 2. C. de his que vi met. causa. multo minus à parentibus, qui plerumque optimum consilium pro liberis capiunt, L. 22. §. f. ad L. Jul. de adult., ideo allegantieum onus probandi incumbit, Dd. in L. 13. C. de transact. probari autem conjecturis ac indiciis potest. Cludius d. cap. V. Bechman. d. L. §. 7. Quæ autem & quales conjecturæ esse debeant, iudicis arbitrio relinquitur. Quod si minæ aut verbera præcesserunt à patre contra filiam, etiamsi consentiat, præsumitur metu consensisse L. 7. C. de his que vi met. causa.*



*causa.* Minæ enim possunt metum incutere, præsertim si minas denuntians solitus fuerit exequi. Bruneman. *ad d. l.* Unde ad tollendam metus præsumptionem Dd. suadent, ut præsentiam consanguineorum & amicorum adhibeant, quia sic metus præsumptio cessare videtur, per *l. 35. C. de transact.* Schneidewin. *ad §. quadrupli l. de action. n. 46.* nec est, quod obstare existimes *l. 21. §. ult. ff. quod nec causa*, ubi coacta etiam voluntas pro voluntate habetur: Vere enim pro voluntate habetur; Metus namque tollit quidem facultatem agendi, non vero voluntatem, quin imo potius hanc auget. Magnificus Dn. Præles, *in Colleg. Mss. ad Lauterbach. tit. Quod met. causa* sed coacta voluntas non sufficit in Matrimonio, in quo omnino libera & spontanea esse, ac plena securitate gaudere debet. *d. c. 14. X. de Sponsal.* Carpzov. *in Iurispr. Conf. lib. 2. Definit. 26. n. 14.* cessantibus autem minis, sola reverentia matrimonium non impedit. Cludius *d. l.* Reverentialis enim metus non est injustus, & qui vitium negotio afferat, sed magis laudandus, qui ita paret. per text. *in c. veniens 15. de Sponsal.* ex quo infert Panormit. *n. 5.* valere matrimonium, si filius ob reverentiam patris, ne ejus indignationem incurrat, ducat puellam in uxorem. Gail. *lib. 2. O. 147. n. 17.* Secus est, si metus sit talis, qui possit afferre cruciatum corporis. Idem. *d. l. 2. O. 39. n. 22.* qui asserit *n. 8.* etiam in muliere talem metum intervenire debere, *n. 9.* tamen in interpretatione iusti metus discrimen faciendum esse vult inter Virum & mulierem, minoremque metum in foemina ob sexus fragilitatem, quam in Viro admitti.

§. VI.



*de Fœminarum Sequestro.*

17

§. VI. Eodem fere recidit casus ille, Si virgo parentibus orbata cuidam juveni matrimonium promisit, sed postea, ad matrimonium agenti, objicit exceptionem metus, quasi ab ipso metu quodam compulsa, consenserit, sic enim, ut pudicitia ejus interea, donec metus probatus fuerit, extra periculum sit, pariter honestarum matronarum custodiæ committi debet. Kitzel. *in Synops. Matrim. cap. 10. Theor. 13. lit. g.* Hincque facti speciei, ea, quæ modo dicta sunt, maximam partem applicari possunt, quare à multis Dd. hi casus conjunguntur: non addimus, quod purget metum. Sponsæ à proco incussum subsequens aliquis actus, ex quo libera voluntas & consensus argui potest, uti frequens atque familiare colloquium, osculatio, &c. Brunnem. *ad l. 2. C. de bis, quæ vi met. num. 4.* quod si vero, statim post minas aut verbera in ipsa desponsatione, Sponsus Sponsam virginem osculatus est, ob id, metus non præsumitur purgatus, & causa metus adhuc durante, durat etiam ipse metus. Gail. *lib. 2. Obs. 93. n. 30.* Brunnem. *d. l. n. 7.*

§. VII. Nunc paucis videbimus, quando Sequestratio locum sibi vindicet in iis fœminis, quæ parentum potestati amplius haud subjectæ, vel proprio libitu vivunt, uti viduæ, vel à tutore aut curatore reguntur, nempe illæ, quæ adhuc minores existunt. Et sic quæritur, quando duo ambiunt viduam vel puellam, & uterque sibi matrimonium promissum esse affirmat, nec constat, quis præferendus, metus autem subest, ne alteruter, sponsalia forsan clandestina copula carnali corroboraturus, Sponsam, seu sponsalitiu tractatu & sermone, seu etiam violentia, ad e-

C

am

am adigat, quid faciendum sit? Resp. Hic iudex Ecclesiasticus potest & debet copula intercedere, viduamque sive puellam, donec lis finiatur, in loco tuto constituere, *Cap. 14. de Sponsal. C. teneor. 10. in fin. & ibi Gl. in verb. accedat, de Sentent. & re iudic. conf. C. accepisti. 2. & C. Tua Fraternalitas 4. X. de Spons. duor. domin. Card. Tusch. Pract. Conclus. jur. tom. VII. lit. S. Conclus. 202. n. 17. Magnificus Dn. Stryk. de Confinatione. cap. 6. tb. 8. p. 39. in fin. Emanuel Gonzalez Tellez. in Comment. ad d. cap. 14. X. de Sponsal. Petr. Francisc. de Tonduti Sanlegerii, Quest. & Resolut. benefic. cap. 55. n. 6. Natta, Consil. 250. n. 9. pudicitiaque conservandae ergo, monasterio vel parrocho, vel honestae matronae, committere: Gravæus lib. 1. Concl. 112. confid. 1. n. 3. dummodo sit probabilis timor alicujus violentiae, qui per praesumptivas probationes, etiam imperfectas, & quae singulae, ac per se non sufficiunt, docetur. Dn. Stryk. de Concurso Sponsaliorum cap. 3. num. 14. Quandoquidem enim res, per contradictionem litigiosa facta, ad unum ex litigatoribus transferri non debet, l. ult. C. de Litigios. multo minus copulatio fieri potest. d. c. tenor. & ibi gl. in d. verb. accedat. Non frustra autem casum dedimus, de hujusmodi personis, quae parentes non habent; quia puella alias parenti potius relinquenda & causa legitime discutienda, quam tertio cuidam committenda est, nisi vis & metus, aliave justa causa adsit. Joh. Carol. Mævius de Jure Sequestrationis S. 19. Constituta porro foemina in loco tuto, examinanda, est a iudice, cuinam ex illis duobus prius fidem dederit, factaque illius declaratione, non statim illi viro tradenda est, tametsi velit, sed concedendum est alteri*

692.

alteri colliganti tempus probandi, prius sibi fidem datam esse, & juxta illius probationem, causa decidenda est, fœmina interim ibidem permanente. Dn. Stryk. *d. cap. 3. n. 15.* In præsentem autem casu nostro, non tantum Sequestrationem jure fieri posse, verum etiam in facti contingentia eam decretam fuisse, tradit Gail. *lib. 1. Obs. 112. n. 15. & 16.* exhibens simul præjudicium Camerale, (quod ante eum Raphael Seilerus, licet ab ipso non citatus, *lib. 1. præjudiciorum Camera Imperialis. fol. 204. in fin.* notavit, prout scribit Bauman. *de Sequestris cap. 3. pag. 18.*) hisce verbis: In Sachen &c. ist erkennen/ daß gemeldte Sabina / bey einer ehelichen/nahmhafften und ansehnlichen Frauen / (Deren sich beyde Theil in Zeit vier Wochen/ dem Nächsten vergleichen sollen :) sequestrirt seyn und bey derselben bis zu Ausführung fürgenommener Rechtfertigung/ehelich erzogen/ auch ohne alles Argwohn und gefährlichen Zugang vertraut/ und enthalten werden soll/ und da sich die Partheyen der Frauen halber in gemeldter Zeit nicht können vergleichen/ daß alsdann N. Bischoff/ die gedachte Sabina/ obberührter massen/ zu einer ehelichen/nahmhafften Frauen/ also/ wie gemeldt/ vertraulich zu enthalten/ versehen und verordnen / der halben auch Mandat und Sequester erkent seyn sollen. Quod ipsum præjudicium, typis exscriptum reperire licet apud Joh. Christoph. de Uffenbach. *de judic. Imp. Aul. cap. 15. Subject. 7. fol. 225.* cui subjeit: Dergleichen verschiedene Exempel auch hier zu Franckfurt passiret zu seyn / man sich erinnert. Quin Carpzovius vult etiam, quando unus puellam vel viduam ambit, actione de promisso matrimonio in-

tentata, Reum, ne lite pendente cum alia persona matrimonium ineat, cautione ab ipso praestanda adigeream vero feminam certo mansionis loco apud amicos detineri & alimentari posse. *Jurispr. Consist. lib. 3. def. 32. n. 1.* Hocque ipsum confirmat sententia Consistorii Supremi in causa Melchior à H. Klägern an einem/ contra Jungfrauen Brigitten/ Wolffen ab E. nach gelassene Tochter/ und derselben Vormunden/ andern Theils/ d. 28. Novembr. Ao. 1615. lata, quam ibidem n. 16. refert, & ita habet: Demnach auf sonderbare Churfürstl. Sächs. Befehllich/ auch gestern und heut gepflogener Verhör- und Handlung nach entstandener gültlicher Vergleichung/ iewt alsobalden ein Urtheil publiciret werden sollen/ die Partheyen aber/ ob sie hierzwischen nochmals zu Verhütung weitläufigen Processus verglichen werden möchte/ mit der Publication auf zwey Monat innen zu halten/ und beklagte „Jungfrau bey Frauen Ammen/Nicolaus von C. Witten/ bis zu der Sachen Erdrterung/ umb billige „Erstattung/ mit Unterhalt zu versorgen/ ihnen belieben lassen; Als/ &c.

§. VIII. Restant aliqui adhuc casus, ratione puellarum, quæ sub tutela sunt, ubi ad sequestrum devenire licet. Sic, si tutor puellam impuberem juveni desponsavit, jus petendi non habet, ut apud se alatur, Aymon Cravetta, *tom. 1. consil. 190.* quia puella ex sponsalibus per tutorem contractis, nequam est ligata, sed quando ad adultam ætatem pervenit, resilire potest. *cap. 1. §. 6. de Despons. impuber. cap. 14. de Restit. Spoliat.* At si penes tutorem stare, sponsus ipsius pudicitiaæ facili negotio infidiari possit, & cam

eam, antequam perveniret ad nubilem ætatem, de facto deflorare, vel attentare. *cap. 3 & fin. de Spons.* (quod metuitur, *arg. l. Si vero 12. §. Si adolescens 11. ff. mandat.*) adeoque per indirectum impedire, ne puberis ætatis facta, a Sponsalibus resilire queat. Proinde, puella non debet apud Tutorem ali; *l. p. in fin. ubi pupillus educ.* sed potius ex iudicis arbitrio sequestrari: Paulus de Castro *Conf. 127. n. 3.* Sicut enim in præteritum tutor se malè gesit erga puellam, inducendo eam ad immaturum conjugium cum juvene, cujus imposterum forte pœnitere possit, ita in futurum præsumendus est facturum esse, *arg. l. 5. §. 6. de Re milit.* ac, cum ad contrahenda sponsalia, in ætate tenerrima pupillam adegerit, credendus est, eandem coactus esse, ut, ut accedente ætate, in illis sponsalibus perleveret, & vel invita matrimonium ineat. Nec obstat, quod iudex non debeat aliquid arbitrari, quando ipsa puella nihil instat. Nam Resp. Iudex ex officio debet de ejusmodi causa cognoscere, quia potest ex officio remove tutorem suspectum *l. Tutor. 3. §. præterea. 4. ff. de Suspect. tutor.* Si itaque in totum auferre potest administrationem ex officio, multo magis, pendente lite, cui puella jungenda sit, poterit ex officio puellam sequestrare. Cravetta *d. Conf. 190.* cont. Arnoldus de Reyger in *Thesaur. Juris, Tom. 2. voc. Sequestratio. n. 24.* Et pariter sequestrum puellæ peti potest, si tutor nimis festinanter eam nuptui tradere velit; aut inæquale illi matrimonium procurrare. Petr. Fr. de Tonduti Sanlegerii *d. c. 15. Quæst. & Resolut. benefic. num. 4.* Equidem, tutorum consensus ad nuptias pupillarum re-

quiri non videtur, quia causæ, propter quas parentum consensus necessario intervenire debet, in tutore cessant, nempe honor & reverentia, quam parentibus liberi debent, quodque illi ex pietate paterna, quam nullus affectus vincit, optima consilia pro liberis capere intelliguntur; & demum, ne ipsis invitis agnoscat hæres. Carpzov. *Jurisprudent. Consist. lib. 2. tit. 2. defm. 45. num. 7. & 13.* At tamen, præterquam quod pietas & honestas suadet, ad nuptias expetere atque impetrare tutorum consensum, idem quoque in Marchia præcise requiritur. *Ordin. Consist. March. tit. 33. & 59.* *Novissimæque constitutio Von Verlöbniß und Ehe-Sachen. §. 7.* ubi sub voce 'Vormünder etiam Curatores, uti plerumque, intelliguntur. Dn. Stryk. ad Brunnem. *J. Eccles. Lib. 2. cap. 16. §. 12. verb. quæ parentis consensu destituta.* Neque obstat ratio, quam Cœppen. *lib. 1. O. 31. n. 17.* ex Panormitano & Felino ad *tit. de Sponsal.* affert, quare statuta civitatum, quod adolescens vel puella absque consensu Curatorum matrimonium contrahere nequeat, non valeant, quia scilicet veniant contra libertatem matrimonii. Nam, sententia ejus de vitalium statutorum in medio relicta, ad cætera Rf. de tutoribus & curatoribus *d. §. 7.* ita habetur: *jedoch/ so fern sie rechtmäßige Ursachen/ in casu disensus, haben: proindeque ipsorum consensus ad id tantum desideratur, ut libertatem effrenem restringant, non vero, ut debitam impediunt. Quamobrem, si auctoritate sua abutantur, nuptiasque sine causa, maturent, Sequestri remedium arripere, integrum est.* Vincentius Carocius *de Sequestro p. 1. quest. 1. pag.*

l. pap. 526. Offert se hic elegans quæstio: Si patre defuncto, & constituto filix tutore, is non consentiat matri, filiam elocanti, ut puta, si Mater nobili, tutor vero blebejo eam dare velit, prout hujusmodi exemplum occurrit apud Livium *Lib. 4. Decad. 1.* quid juris hoc in casu sit? Rf. Severus & Antoninus Impp. rescripserunt *in L. 1. C. de nupt.* cum de nuptiis puellæ quæritur, nec inter tutorem & matrem de eligendo futuro marito convenit, arbitrium præsidis provinciæ necessarium est. Cui exacte respondet. Rescriptum Impp. Honorii & Theodosii *in l. 20. C. eod.* Hinc in simili casu Consistorium supremum ad consultationem D. L. zu R. die 6. Septembris Ann. 1609. ita decrevit: Seyd ihr nach U. E. Absterben seiner Töchter M. E. nach deme sich die Mutter anderweit verehlichet/ zum Vormunden bestätigt worden/ Als nun eure Verpflegte einen Freyer bekommen/ sie auch anfänglichen gute Lust darzu getragen/ habt ihn in Ansehung seines Ehrlichen herkommens/ und daß Er bey seinem Handwerk ein Weib wol ernehren kan/ euer Bollwort darzu gegeben/ daß es also nur an dem öffentlichen Verlöbnuß gemangelt. Nachdeme aber immittelst ein ander Freyer sich gefunden/ zu welchen die Mutter bessere Beliebung trägt/ wird vorgedachte eure Verpflegte hierinnen stuzig gemacht/ ob Sie dießfals euren oder der Mutter Vorschlag folgen solle/ innassen denn von euch beyderseits Urjachen angeführet worden. Dafern ihr Euch nun deswegen nochmals nicht vergleichen könnt; so würde diese Sache an das Consistorium nicht unbillig gebracht und darinnen entschieden/ B. H. W. Carpz.

*Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 3. def. 48. in fin.* Quandoquidem autem hoc iudicis arbitrium facile eludi posset, si puella vel penes matrem, vel tutorem moraretur; quia ita, sive illius, sive hujus voto, matrimonium impleret, inde recte ad sequestrum hoc casu confugimus. *Cravetta de Consil. 190.* Ultimo dubitari non debet, si puella asserat, tutorem vitæ suæ vel pudicitiae insidiari, eandem tutori haud relinquentiam, sed donec hoc probatum fuerit, eandem in loco tuto collocandam esse, cum ovis lupo concedi non debeat, prout sentit *Bachovius ad Treutl. Disp. 26. thes. 11. lit. F.* neque etiam tutor inauditus removendus sit, pro quo præsumtio militat, quod nihil contra commoda pupillæ moliri soleat, cum in locum parentis successerit, atque ad id constitutus sit, quo ipsam defendat, ac contra aliorum machinationes & insultus tueatur, siquidem à tuendo nomen, indeptus est.

§. IX. Antequam huic capiti 2. finem imponamus, breviter adjicere lubet, ad quæ nam iudex, apud quem cognitio de sequestro virginum & viduarum est, potissimum advertere debeat. Primo scilicet, si de matrimonio puellæ vel viduæ contententes viri sint potentes, debet sumere summarias de fide matrimonii data informationes, rixas & querelas ex officio, quantum fieri potest, impedire, etiam indictis pœnis. Deinde iudex consideret oportet, quæ de causa & ad quem finem sequestrum fiat, si enim fiat simpliciter, ad explorandam sequestrate voluntatem, facta exploratione, cessabit sequestratio; Si, ut puella



puella secura sit & immunis ab omni violentia; durabit sequestratio, quamdiu durabit occasio & timor violentiæ: si denique ut sententiæ proferendæ executio non reddatur inutilis, durabit usque ad finem litis, & sententiæ executionem. Uti post Gutier de Matrimonio cap. 37. n. 2. 3. 4. & 5. hæc plenius deduxit Tondut Sanleger. d. cap. 55. n. 15. & 19. Ultimo advertendum est, posse judicem, si jura sint in ambiguo, puellam nondum nuptam parentibus committere, datis fide jussoribus idoneis: qua tamen in re judex circumspectus admodum esse debet, & advertere, utrum fidejussor sufficiat, ut per eum sententiæ proferendæ executio non reddatur elusoria, inprimis vero id observare, quod juri convenit. Cravetta d. Consil. 190. Conf. Alexander Tartaganus Imolensis lib. 5. Consil. 161. n. 10. Lex enim committens quid arbitrio judicis, id facit, ut personis provideat, sicut Thyriaca contra venenum, prout habet Baldus lib. 3. Consil. 145.

### CAP. III.

DE

## Uxorum Sequestro.

§. I.

**Q**UAMPRIMUM DEUS, condito mundo, hominem creavit, eique Evam vitæ sociam adjunxit, severe jusfit, ut voluntas mulieris subjecta esset arbitrio viri, hicque illi dominaretur. Gen. 3. 16. conf. Eph. 5. 72. Proinde fundamentum juris mariti in fœminam Grotius minus recte deducit

D

ex

ex sola confociatione; de *J. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 8. n. 1.* cum illud altius sane repetendum sit, videlicet ex jure divino & expressa ejus dispositione, Osiander *ad h. l. p. m. 737. & 738.* qua in pœnæ vicem feminae idem legitur injunctum. Pufendorf. *de J. N. & G. lib. 6. cap. 1. §. 11.* quanquam ipsa quoque ratione naturali prævaleat imperium viri. Quare nequaquam in discrimen & lubricum fortunæ arbitrium deduci, debet, prouti apud Sacas vir imperium a pugna auspiciari habebat necesse, nec mulier ante ad obsequium marito tenebatur, quam si virtute ejus victa in certamine succubuisset, ceu ex Æliano refert Arnifæus *de jure Connubiorum cap. 7. Sect. 1. n. 1.* neque uxoribus cedi a maritis potest, daß die Frau den Huth haben solle / Dn. Elias August. Stryk. *de Matrimonio ex ratione status cap. 2. §. 7. seqq.* cum hujusmodi pactum si contra jus Divinum, Gentium, Civile, & Canonicum, uti eleganter demonstrat Dn. Petr. Müllerus *de Frigusculo cap. 3. tb. 6.* quamvis forsitan non sine ratione optandum foret; daß in manchem Lande des Abaserei Ausschreiben renoviret würde / der gebote daß ein jeglicher Mann der Oberherr in seinem Hause wäre *Esber 1. 22.* Schuppius in *Regenten: Spiegel cap. 11.* Siquidem non tantum historiæ testantur, fuisse integras gentes ubi uxores viris suis imperarunt, ceu videre est apud Pufendorf. *d. l. §. 9.* Sed inter Christianos etiam exempla dantur imperii mulieribus, tam in personis illustribus, vid. Summe Reverendus Dn. Becmannus *in Meditat. Politic. Diss. 6. §. 3.* quam imprimis in hominibus inferioribus, qui in tantum sæpe uxoribus parent, ut non dici possint, Domini

Domini, non Superiores, non Mariti, non denique pares, ſed potius famuli, non uxores, ſed Dominas habentes. B. Jac. Müllerus de *Cornutis* cap. 2. §. 4. In quem cenſum referunt vulgo eos, qui, ut Jcti ſcribunt uxores ſuas Dominas vocarunt; l. 14. pr. de *legat.* 3. l. 19. §. 1. de *annuis legat.* Verum, præterquam quod matronæ dicantur Dominæ, non reſpectu maritorum, ſed per ſe, Cujac. lib. 3. *obſervat. cap. 8. in f.* verba talia quoque ex urbanitate prolata nullum jus tribuunt, nec iſte Dominatus debet eſſe ultra colum, penſum & fuſum, uti loquitur Gail. lib. 2. 0. 144. n. 3. Et quamvis dominium nonnunquam ab uxoribus occupetur, id tamen vel vi, vel clam, vel precario, quæ vitia poſſeſſionis ſunt, §. 6. 1. de *Interdict.* tantum fit, ſoli autem mariti illud jure optimo exercent. Dn. Becman. d. *Diff. 6. §. 4.*

§. II. Hoc vero imperitum quouſque pateat, & an ad verbera etiam extendi queat, inter eruditos non ſatis convenit. In affirmativam propendet interpres Germanus, qui de *vs. 16. cap. 3. gen.* in editione de anno 1493. ſatis rigide expreſſit; hoc modo : dat is / he ſkal öwer di heerſchapien / &c. Cui verſioni magno numero ſubſcribunt Dd. qui conſtanter ſtatuunt, nequaquam marito adimendam eſſe poteſtatem uxorem caſtigandi, dummodo, caſtigationis fines non excedat. Carpz. *Jpr. Conſiſt. lib. 2. def. 212. n. 1. C. def. 222. pr.* Pruckner. *in manuali mille queſt. illuſtr. Theolog. cent. 8. queſt. ult.* ibique Phil. Müllerus *in not.* Tiraquellus d. *LL. Conſ. pag. 1. gl. 1. n. 22* Brunnem. de *J. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. §. 31. in fin.* Roland à Valle, *vol. 3. conſil. 27. n. 13.* Quamvis autem Alexander Sperellus *in Decis. Fori Eccleſiaſtici*

*stici P. 2. Decif. 139.* temerarium esse dicat ab hac verissima & frequentissima sententia recedere; quandoquidem quarundam sceminarum malitia contumaciaque adeo effrenis est, ut verbis demulceri nequeat, uti ex Ledrero *de J. Bell. Privat. lib. 2. Cap. 4. §. 10.* vocet Magnif. Dn. Stryk. *de Foro Conscientia cap. 2. n. 79.* Nos tamen negativam probamus saltem inter honestiores. Siquidem etiam modica castigatio, quæ verberibus expeditur. (1.) ingenuæ, æquabili & amabili conjugii Societati adversatur; etsi enim uxor viro subdita sit, interim tamen socia est & adjutrix domesticæ administrationis, ideoque quodammodo par. Layman. *in theol. moral. lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 2. n. 6.* (2.) Contra dignitatem conjugii est. (3.) A quadam am arulentia provenit. (4.) Affectum conjugalem perimit utrinque, tam in marito, dum uxorem trahat ut servam, siquidem verbera ab ingenuis aliena sunt. *l. 8. §. 2. C. de Repud.* quam in uxore, dum videt se contemni & abjecte haberi. Accedit (5.) quod experientia teste, hac ratione ad emendationem & pacem familiæ raro pervenitur. Et denique (6.)

- - - - - nullum memorabile nomen

*Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem.*

Magnificus Dn. Becmannus *in Const. Polit. p. 42. in f. Amefius de Conscientia & ejus jure vel casibus lib. 5. cap. 37. quest. ult.* Brandmüller *in manuactione ad jus Canonicum & civile voc. uxor.* Neque refert etsi uxor graviter deliquerit, quia castigatio, quam hujusmodi delictum postulat, judici relinquenda, cujus est juridicam & delicto condignam pœnam inferre. Layman. *d. l.*

§. III.

S. III. Quod si tamen Vir imperium sibi competens ad verbera extendat, uxor ad separationem thori agere non potest, imo ne cautionem quidem de non amplius offendendo patere Sperellus *d. Decis. 19.* Nisi verbera sint immoderata, atrocía & tanta, ut ex iis lævitia colligi possit, metuaturque major fævitia in futurum. Farinacius *Prax. Crimin. quest. 143. n. 186.* tunc enim uxor non tantum Separationem thori petere, Augustinus Barbosa *lib. 1. voto 9. & ad cap. 8. X. de Restitut. Spoliat.* Gonzalez Tellez *ad d. cap. lit. b. Basilius Monnerus de Matrimonio cap. 13. n. 2.* sed nonnunquam etiam propria autoritate a viro discedere potest, Gutierrez *Canon. quest. lib. 1. cap. 24.* Kitzel. *in Synopsi matrimoniali cap. 8. theorem. 6. lit. F.* Scil. si periculum in mora, vel non facilis sit ad iudicem aditus. Sanches *de matrimonio lib. 10. Disp. 18.* Hocque casu viro non aliter restituitur, nisi recepta sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre, *cap. 8. X. de restit. Spolias.* ibique Panormitanus, Petrus de Ancharano & Franciscus Zabarella: quod si mulieri trepidanti sufficiens Securitas præstari non potest, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri, *cap. 13. in f. X. eod.* Berlich. *P. 1. Concl. 73. num. 112. in Edit. de anno 1670.* & curæ ac custodiæ probæ & honestæ existimationis foeminae committi, Perez. *ad tit. Cod. de probib. seqv. pecun. num. 4.* Guido Fojanus *de sequestratione lib. 2. cap. 34.* Henr. Linck. *de Sequestro. cap. 2. tb. 1.* Cardinal deLuca *in theatro veritatis & justit. pag. 2. matrimonio Disc. 11.* Corafius *Miscell. lib. 3. cap. 2. n. 10.* dum desævuit hyems, & aquosum fidus Orion, ut interea animus mariti

penitius possit explorari, & requisita securitas eo facilius timidam ac trementem uxorem comitetur, Michael Havemann in *Gamalogia* lib. 4. tit. 3. post. 3. Non vero Curatori, interim concedi debet uxor, ut Treutlerus censet, quod non solum in jure non est fundatum, sed potius textibus adductis expresse refragatur, Helfricus Ulricus Hunnius ad *Treutler. vol. 1. disp. 26. tb. 11. lit. f.* Neque tuto fieri potest, quia ejusmodi Sequester alterum in possessione possit turbare, & ipse fructus, pro quibus restituendis nulla cautio præstari valet, percipere. Bachov. ad *Eundem pag. m. 905.*

§. IV. Quoad primum hunc *Uxorum Sequestris* casum aliqua adhuc probe notanda, quæ brevitatis studio, quantum fieri poterit, contrahemus. Sic (1.) quamvis alias restitutio ante omnia facienda sit, adeoque maritus ceu spoliatus quasi possessione thori conjugalis etiam restituendus videatur, excipitur tamen casus, si conjux divertens opponit alterius sævitiam. *D. communiter.* Est tamen (2.) opus in continenti probari sævitiam, quo restitutio impediatur, sicut in *cap. 13. de Restit. Spoliat.* dicitur ad impediendam Conjugis Spoliati restitutionem allegatam, Consanguinitatem probari debere in *continenti.* Sanches. *d. lib. 10. Disp. 18.* Hocque fit per informationes summarias testium probantium sævitiam esse tantam, ut absque periculo & discrimine vitæ marito secure cohabitare nequeat. Maritum quippe cum uxore in societate pessime se gerere, verberibus eandem crudeliter detractare, gladio aut pugione vulnus inferre voluisse, mortem ei minatum esse, Cludius

dius, *d. cap. 5.* & qui hujus vineta insigniter cedit. Bechmann. *in d. Disp. tb. 19.* Tondutus Sanlegerius *Quest. & Resol. Beneficial. cap. 55. n. 12.* Quibus præstitis, si sufficientes judici videntur respectu subjecti metum patientis, tam quoad gravitatem mali, quod timeatur, quam quoad probabilitatem & modum timendi, continuo inter loquendo pronunciat, Uxorem *Sequestrandam* penes mulierem probam & honestam, interim, dum causa deciditur, præcipiendo Marito ipsiusque Parentibus, ne illi ullam injuriam vel molestiam inferant, sub pœna excommunicationis, vel terræ pecuniæ summæ, judicis arbitrio applicatæ vel applicandæ. Gutierrez. *d. lib. 1. cap. 24.* Conf. Roland. a Valle *Vol. 3. Consil. 27. n. 2. & 4.* Nec (3.) quicquam refert, uxorem causam sævitæ præstitisse, ut si adulterium aliudve facinus admiserit, quapropter Vir infensus illi est, atque illa non audet ad illum, sibi eundem iterum conciliatura, redire, Farinacius *d. l. n. 212.* hoc enim casu non tenetur prius ipsi cohabitare, quam præstita incolunitatis cautione, *c. de Benedicto 5. causa 32. quest. 1.* & licet culpa præcedat, non tamen imputantur ea, quæ inde procedunt, *arg. cap. 5. ibi: sua culpa suspensus, X. de Concess. præbend. ac constat ex l. 7. ff. quod metus causa.* nil interesse, ut metus gravis sit, etsi ex culpa metum passi oriatur; præteraque in *cap. veniens X. de Sponsal.* subvenitur metuenti, qui culpabilem causam dedit. Sanchez *sæpe c. 1.* ubi simul ad leges obstantes respondet. Considerari (4.) non tantum debet sævitia præterita, sed & timor futuræ est probe advertendus, ut si inter Virum & Uxorem esset, his super majori parte bonorum,

norum, tunc ipsa personarum qualitate perspectu  
 conjici probabiliter potest futura sævitia Gutierrez,  
*d. cap. 24.* Sicut autem (5) Uxor viro non est re-  
 stituenda, quando petit sibi caveri de non offen-  
 dendo, ita e contrario restitutio Viro non denega-  
 tur, nec eadem uxor potest seorsim a viro habitare,  
 quando vir talem cautionem cum effectu præstare  
 paratus est. Farinacius *d. quest. 143. n. 224.* Magistra-  
 tus quippe Ecclesiasticus antequam ad separationem  
 conjugium ceu ultimum pro evitandis litibus dome-  
 sticis remedium descendat, omnia prius tentare de-  
 bet, quibus reconciliatio obtineri potest, inter quæ  
 & medium cautionis a marito præstandæ haud ulti-  
 mum censetur, Carpzov. *in 7pr. Consist. lib. 2. def. 218.*  
 ubi testatur in simili casu a Supremo Consistorio se-  
 quentem in modum pronunciatum fuisse: Daß  
 Klagerin vor bestallter gnugsamer caution, sie an ih-  
 rem Leib und Leben ferner nicht zu gefährden / ihr  
 auch nothdürfftigen Unterhalt zuverschaffen / beklage-  
 tem ihren Ehemanne wider ihren Willen bezuwoh-  
 nen nicht schuldig. Unde (6) emergit quæstio quæ-  
 nam sit idonea cautio? Resp. prout certa regula sta-  
 tui nequit, qualis sævitia requiratur ad hoc, ut di-  
 spositio, *cap. 8. de Restit. Spol.* locum inveniat, sed ju-  
 dex arbitrari debet, an & quando sit tanta sævitia,  
 ut non possit mulieri provideri remedio cautionis.  
 Ziegler. *ad Lancell. lib. 2. tit. 16. §. 18.* Nævius *de jure*  
*Sequestrat. tb. 19.* ita nec forma regula dari potest, quæ-  
 nam cautio pro idonea sit habenda, cum eadem  
 quibusvis circumstantiis probe perpensis, pro ratio-  
 ne sævitiæ, minarum & offensionis exigi debeat. Bal-  
 dus



De Feminarum Sequestro.

dus *Consl. 176. n. 2.* Cludius *de Jure Sequestrationis cap 5. pag. 27.* ibique citatus Parilius *Consl. 54. vol. 4.* aliique. Hoc tamen certum, quod cautio de non offendendo necessario vel per pignora vel per fidejussores debeat praestari, Sanches *d. Disp. 18.* Farinac. *de quest. 134. num. 213.* Carpzov. *d. l. Def. 219. arg. C. ex transmissa de Restit. Spoliat.* ubi requiritur sufficiens cautio; non autem dicitur sufficiens cautio sine fidejussione vel pignoribus, *Gloss. in verb. Sufficiens cautione.* ibique Dd. Sufficit tamen juratoria cautio, quando timor non est magnus, Farin. *d. l. n. 214.* vel si vir est homo discretus & emendatae vitae, Baldus *Vol. 1. consil. 176. n. 2.* vel quando fidejussores aut pignora haberi nequeunt, Berlich. *P. 4. Concl. 22. n. 10.* vel denique, si Uxor juramento mariti fidere velit. Carpz. *d. Def. 219. num. 5.* Quando autem (7) maritus & crudelis est, & severus, ut juste pejora timeat uxor, & periculum sit ne offendatur ab eodem, cautione non obstante, viro non est restituenda, qualemcunque etiam cautionem praestiterit, Barthol. Bertazzolius *Consultat. Decif. lib. 2. consil. 273. num. 2.* siquidem alias cautio fragilis & periculosa res est. *l. 66. §. 1. ad Scf. Trebell.* Roland a Valle *Consl. 68. vol. 2. n. 24.* nec malevolum propositum mutat. *§. p. 1. de Suspect. tutor § l. 6. ff. eod.* Regulariter autem (8) praestita cautione de non offendendo Uxorem, *sequestrum* solvitur, & conjuges ad cohabitandum adiguntur. Carpz. *d. l. Df. 220.* tali modo: dieweil Beflagter die zuerkante Caution zur gnüge bestellet so ist nunmehr sein Eheuib / ihres andern fürwendens ungeachtet / Beflagtem hinwieder ehlich benzuwohnen schuldig; Indessen beharlicher

E

Ber



Verweigerung wird sie von der weltlichen Obrigkeit durch Zwangsmittel darzu nicht unbillig angehalten. Queritur (9) an durante *sequestro uxoris* vir ei alimenta & sumtus litis præstare teneatur, Resp. Aff. Quia cum mulier bona sua viro in dodem dederit, nisi ab eo alimenta & sumtus consequeretur, Vir utique non sustinens onera matrimonii gratis fruerefructibus dotis; Uxor vero per impotentiam deserere litem cogeretur ac indefessa & oppressa remaneret, quod omni a justitia abhorret. Nostra deinde sententia probatur etiam ex *cap. 11. X. de accusat.* Ubi disponitur Monachos, Abbatem accusantes, expensas lite pendente ex bonis monasteriis consequi debere, addita ratione: quia propriam non habent; quam etiam ad favorem uxoris militare dicunt scribentes, prout notat Sperellus *P. 1. Decis. 138.* Denique (10) Si maritus, immemor cautionis præstitæ, uxorem denuo male tractet, neque ad cautionem iterum admittitur, neque *Sequestrum* rursus decernitur, sed divortium temporale quousque timor sævitæ desinat, maritus vero pœna carceris vel religationis coerceri potest, de quo late Kitzelius *d. l. 1b. 6. lit. G.*

§. V. Sed de hoc satis: pergimus ad aliùm casum notabilem æque ac frequentem. Scilicet, quando uxor allegat impotentiam Viri, hic vero eandem negat, quid juris sit, quæritur? Resp. Cum non satis decisum, cui parti hac in re credendum sit, hinc, ut neutri fiat injuria, pendente lite. *Sequestrum* eligere uxoremque penes patrem vel aliam honestam personam collocare, consultum est. Tondut Sanlegerius *Quæst. & Resol. Benef. cap. 79. num. 1.* Tunc nempe, quando uxor

*De Fœminarum Sequestro.*

35

do uxor fuit ad domum mariti traducta, & cum eo simul vixit tam quoad habitationem, quam quoad thorum, per plures annos, sed tamen allegat, se adhuc virginem esse, simulque offert se inspectioni obstetricum vel peritarum fœminarum. Sic enim, quia uxor per plures annos commorata est cum marito, non potest propria auctoritate ab eo, recedere, sed maritus habet manus injectionem in personam ipsius, eamque fugientem capere & detinere potest. Tiraquellus *de LL. Connubial. p. 1. n. 40.* Neque tamen uxori suadendum est, ut interim penes maritum maneat, ob jurgia, lites & disidia, quæ hoc casu nunquam non oriri, atque intercedere consuevere. Dn Müllerus *d. Disp. de Frigusculo cap. 3. tb. 10.* Minime vero ad *Sequestrum* procedere licet, sed maritus in possessione uxoris potius manutenendus est, quando in eo nullum adest vitium visibile & manifestum, ut certum frigiditatis vel impotentiae impedimentum oculis corporeis cognosci non possit, ideo observanda est dispositio *cap. Laudabilem X. de Frigid. & Malef.* vi cujus separationem præcedere debet triennis cohabitatio & experientia fieri. B. Brunnem. *de Jure Eccles. lib. 2. cap. 17. §. 3.* ibique Dn. Stryk. *ad §. 2. verb. immedicabile.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 11. n. 5.* Triennium vero experientiae non est numerandum a die, quo iudex ipsis terminum assignavit ad talem experientiam faciendam, prout ex variis Rotarum Decisionibus aliisque Auctoribus ostendit Sanleger. *d. l. n. 9.* Parili ratione uxor *sequestranda* haud est, quando mariti impotentia non est perpetua tua: quia potius iudex tenetur conjuges hortari, ut prævia peccatorum

E 2

pœni-

poenitentia, & adhibitis remediis, negotium conjugale experiantur. Siquidem potest contingere, ut tale impedimentum non sit naturale, sed temporale, uti, quæ quorundam superstitio est, quam nos nunc in medio relinquimus, proveniens ex aliquo maleficio, vel fascinatione magica. Dn. Müllerus *de Annulo Pronubo. tb. ult. v. gr. per ligulam, durch Nestel-Knüpfen / vel oberationem seræ, durch Schließung eines Schlosses / ante benedictionem sacerdotalem.* Nevius *de juramento delato super causa famosa cap. 3. §. 26. n. 53.* quod sæpe corrigi & curati successu temporis potest. Ziegler *ad Lancellot. lib. 2. tit. 12. §. 14.* Et solet nonnunquam multis, tam masculis, quam fœminis, evenire, ut aliquo tempore generare & concipere non valeant, deinde vero generandi & concipiendi facultatem recipiant. Magnif. Dn. D. Ring. *P. 1. Progymna. m. 16. num. 60.* Prout autem ad probandam mariti potentiam non sufficit sola virginittatis læsio, tanquam argumentum fallax, quia hæc etiam aliis modis fieri potest: I. G. Simon *de Impotentia conjugali cap. 7. tb. 4. num. 3.* ita e contrario ad probandam ejus impotentiam, non sufficit, quod uxor adhuc sit virgo. Sanlegerius, *d. l. num. 8.* Potest enim adesse impotentia, non absolute, & respectu omnium; sed tantum respectu certæ personæ. Laymann. *d. l. num. 3.* Judex itaque circumspecte hic agere debet, nec omnibus de frigiditate & impotentia factis allegationibus promiscue fidem adhibere, Ziegler. *d. l. p. 44s.* inprimis autem sterilitatem ab impotentia probe discernere. Carpz. *lib. 2. d. f. 200. num. 3. & seqq.* Plura, qui desiderat, adeat laudatum Simonem *d. Tract.* ibique magno numero citatos Auctores.

*De Fœminarum Sequestro.*

§. VI. Alius se jam offert casus, in quo *Sequestro* valde marito opus est. Scilicet, quando uxor ab eo adulterii accusatur; tunc enim, donec criminis convicta fuerit, eadem in loco tuto debet poni atque seculo. Sanlegerius *cap. 55. num. 11.* Penes maritum enim si maneret, & is forte cum ea collegeretur, videretur aut alias cum ea humaniter conversaretur, facile mulier causari posset, maritum injuriam sibi illatam remississe; quod omnino factum intelligitur, si cum ea denuo confverit. *Zœsius in Comment. in Tit. de Injuriis, num. 27.* *Brunnemann. ad L. 5. C. Famil. Eriscund. num. 5.* *Mevius P. 7. Dec. 103. n. 2. §. 4.* Uxor autem pro arbitrio suo locum eligere haud potest ubi degere velit, siquidem in poenam, sedes manendi illi assignari solet illic, ubi occasio peccandi eidem plane præscinditur. *Sanleger. d. num. 11.* Proinde haud incommode in monasterio fœminarum aservari potest mulier, quæ thorum maculasse creditur, usque dum lis fuerit finita, *arg. autb. sed bodie, C. ad L. Jud. de adult.* Et quamvis *Dd.* nonnulli haud approbent custodiam fœminæ adulteræ in monasterio, eo, quod facile Moniales ex corruptis moribus ejus & ipsæ corrumpi queant, *cap. 12. causa 28. quest. 1. cap. 5. causa 23. quest. 4.* bene tamen hoc procedit in illis civitatibus, in quibus sunt monasteria, ut ajunt, *Convertitarum, sive mulierum male nuptarum, quibus non est novum audire adulteria, & in quibus quidem monasteriis, ut plurimum inhonestæ mulieres de adulterio confessæ recluduntur, aut ad tempus, aut in perpetuum. Farinac. quest. 141. n. 20.*

§. VII. Notabilem adhuc *sequestri* decreti casum

E 3 exhi.



exhibet nobis Clariss. JC. Johannes Corasius in *Arresto, sive Placito Parlamenti Tholosani*, interprete Hugone Suræo. Nempe: in Diæcesi regia, & Agro Arrigatenfi Galconix, juvenis quidam Martinus Guerra matrimonio sibi junxerat Bertrandam Rolsiam, cumque ea novendecim circiter annos vixerat filiumque cui nomen Sanctio erat, ex eadem procreaverat. Post hæc militatum abit, octoque annos abest, accedit interim prædictam Bertrandam Arnoldus quidam Tillius, seque ejus maritum Guerram esse simulat; & quia in lineamentis faciei & reliquo corpore similitudinis indicia ubique se proderent, ipseque, utpote modo nominato Guerra in postremis bellis civilibus socio usus, multa proferret, quibus memoriam præteritorum renovabat, effecit, ut pro tali agnosceretur & ab uxore Martini reciperetur. Qua etiam non modo triennium abusus fuit integrum, sed nefaria etiam coitione binos ex ea liberos suscepit. Postea vero, ortis inter Martini avunculum Petrum Guerram & Pseudo-Maritum hunc, Arnoldum, controversiis, Petrus Guerra fallaciam detegit, & Bertranda persuasit, ut negotium hoc serio susciperet & persequeretur; quæ etiam se deceptam præsentens, & errorem suum agnoscens, litem Pseudo Martino Guerræ intendit & querelam contra ipsum instituit: instituta autem actione, Parlamento Tholosano placuit, *Bertrandam Rolsiam esse sequeltrandam*: Hujus decreti justitiam, cum ipsa per se satis pateat, prolixè examinare atque demonstrare supervacaneum esse existimamus) causa hac diu multumque agitata, & tandem vero marito reverso, dolus rei conventi fuit detectus, Verus maritus receptus, & reus conventus Arnoldus Tillius capitali pœna affectus.

de Feminarum Sequestro.

affectus. Cludius d. cap. 5. p. 270. & 1099. Kitzelius in Synops. matrim. cap. 8. theor. 9. lit. D. Dn. Sam. Schelwig im Gei- stern des Gewissens à pag. 40. usque ad 46.

§. VIII. Elegantissimus denique Sequestri casus pro- ponitur in L. 1. pr. ff. de Inspec. Ventr. Scil. quando mari- tus prænantem quidem mulierem dicit, uxor vero ne- gat. Sic enim ex rescripto Divorum fatrum M. Antonini & Veri, uxori custos apponi: ex mente vero Ulpiani eli- gi debet, & quidem ab ipso Pratore, d. l. 1. §. 6. honestis- sime femine domus, in qua mulier veniat, ubi tres obstet- rices, si tot haberi possunt, Gothofredus hic, lit. m. pro- bata & artis & fidei, eam inspicere debent, & siquidem vel omnes, vel duæ affirmaverint, prænantem videri, tunc mulieri persuadendum, ut custodem prompte admit- tere ne renuat; quodsi enixa non fuerit, sciat maritus, ad invidiam existimationemque pertinere, ut non immerito possit videri, captasse hoc ad aliquam mulieris injuriam; si autem omnes vel plures, non esse gravidam, dixerint, nulla causa custodiendi erit. Huic d. l. 1. Dispositioni quodammodo respondet factum Henrici VI. Imperatoris, qui, cum Constantiam, Siciliæ Regis filiam, prope quin- quagenariam, thori sociam assumisset, eamque ex se gra- vidam esse deprehenderet, simul vero suspicaretur, impe- rio suo subjectos de legitimitate partus dubitatueros, eo, quod partus quinquagenariæ mirabilis esset, & qui raro contingeret, ceu statuit Sacratiss. noster Justinianus, in l. 12. C. de legitimis hæredib. Hinc noluit, ut in Regia enteretur, sed Panormi Secellum publicum extrui curavit, ut ita pa- lam & populo spectante, in eo pareret, enixa quoque fi- lium Fridericum, qui postea Imperator factus II. dictus fuit. Magnif. Dn. Ring. de Progymnas. 16. num. 58. & 59. conf. Dn. de Ziegler. im täglichen Schauplatz der Zeit/ pag.



40 *Disputatio juridica de Fœminarum Sequestro.*  
p. 130. Unde Status Angliæ protestantes concludunt,  
Principem Walliæ postremo natum, fuisse suppositum,  
vel saltem partum incerto patre natum, quia non secun-  
dum leges jure gentium in regniis familiis, ad securitatem  
legitimarum successione, & declinandas suspiciones, quæ  
propter momentum regiæ successionis contra tales fœmi-  
nas prole mascula hætenus carentes existunt, sed contra  
modo per omnia suspecto editus est. Non debuit igitur  
Jacobus Ex Rex Magnæ Britanniæ permittere, ut Regina  
in secreto conclavi, sed potius, exemplo nostri Henrici  
VI. curare, ut in conspectu saltem eorum, quorum ratio-  
ne successionis intereat, eniteretur: siquidem, quando  
ex assertione Principis ipse principaliter sentit commodum  
& subditi incommodum, ipsi Principi non creditur. vid.  
das bedrenge Engelland. p. 46.

§. IX. Et sic finimus hoc exercitium, æque Benevoli  
Lectoris censuræ submissum; humillimas DEO Optimo  
Maximo agentes grates, quod huic labori nostro exopta-  
tum largiri successum dignatus fuerit, eique porro  
studia, factaque nostra omnia serio  
commendantes.

Tantum.









Frankfurt a.d.O. Diss., 1698


f




sb.

107





delia  
ria a  
refo &  
vellet  
& coa  
i. ai  
sperr  
dacin  
egrot  
randa  
tralle  
s dep  
jus vi  
um h  
cem  
tinet  
de Pa  
us re  
eos el  
lubi  
fidei  
dere  
uit, e  
mpbo  
vide  
posse  
e perti  
ngam  
suo ti  
lle pe  
n fefe  
ate ar  
n fibi  
magr  
id qu  
dicis  
que h  
quod c



1698

~~1698~~ D. B. V.

1698, 2a

1698  
3

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
De

# FOEMINARUM SEQVESTRO,

Quam  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Ex Decreto & Auctoritate  
*MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS*

In Illustri Academia Viadrina,  
PRÆSIDE  
DECANO SPECTABILI

**DN. HENRICO COCCEJO,**

Jcto Celeber. Augusti atque Potentiss. Electoris Brand.  
Consiliario Splendidissimo, Facultatis Juridicæ Ordinario  
Gravissimo, & Professore Primario Dignissimo;  
Antea Summi Consilii Status Electoralis Palatini, & Collegii Re-  
visorii Assessore, in Alma Heidelbergensi Decretalium, Pandectar.  
& Juris Gentium Profess. Publ. Ordinario Meritissimo,

*DOMINO MOECENATE ET PROMOTORE  
suo summè devenerando,*

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES, AC PRIV. DOCTOR.  
ritè consequendi,

*Publica & Solemni Disquisitioni submittit,*  
IN AUDITORIO ICTORUM,

**CONRADUS BUCHIUS,** Francof. Marchicus,  
d. ii. April. Anno Christi 1698. horis ante & pomeridianis.

Denuo recusa, Anno 1709.

